

[1]

**Supremi honores sacerrimis exuviis
DIVI JOANNIS NEPOMUCENI
ad festivas stellarum faces
devoto planetarum studio peracti**

Oratoriae et poëticæ facultatis opera in scenam dati
Oppolii in gymnasio Societatis Jesu anno 1729

ARGUMENTUM

Poësis fundat in collucente super undis Moldavae stellarum quinario, illustri Nepomucenae gloriae arguento. Histor[ici].^a

PROLUSIO

Coelum sidereum et Moldava sibi amice foederantur et conspirant in triumphos gloriose Christi athletæ Nepomuceno adornandos; illo interim festivis ignibus suis praeludente, isto rosetum ac liliatum irrigante, quo plectendis subinde aureolis servitura utriusque florum germina foecundius excrescant.

INDUCTIO I.

Apollo (idem, qui Sol, planetarum Princeps) Doctori Nepomuceno commerita destinat sapientum praemia, Pallade interim in Parnassi laureto frondes carpente, eruditio vertici adaptandas.

INDUCTIO II.

Hoc dum Dea nominata agit, en tibi! Ex avulsarum frondium vulnere hinc cruentum, inde aqueum humorem ominose stillare cernit, quo prodigio perculta totum Parnassum reddit attonitum.

INDUCTIO III.

Insolito hoc portento obstupescibus singulis, adest Fama, triste nuncium buccinans Joannem a coronata Czechiae tyrannide in Moldavam esse praecipitatum. Unde luctuosa Parnassi facies.

INDUCTIO IV.

Famae tuba excitus inter arma sopitus ac Wenceslai Pigri segnitie pene contabescens Mars expergiscitur, seque in Pharsaliam evocari autumans, rara animositate pugnae sese accingit. At cognito atroci Regis facinore eam impietatem detestans, in ipsum-

^a Obecně svědectví historiků nebo např. *Acta utriusque processus*, 1722, s. 318–330, n. 5: *Scriptores historici agentes de Martyrio B. Joannis et ejus causa* (srov. Ferus: *Fama posthuma*, s. E3c-d-Fa).

met tyrannum arma convertere ac de patrato scelere ultionem sumere statuit, accersitis in belli partem planetis caeteris corrivalibus.

INDUCTIO V.

Adsunt extemplo auxiliarium planetarum copiae, suis quaelibet instructa armis inque unam omnes tyranni necem conspirant, sola [2] Venere partes adversas tutante et intentum pro causae Joanneae aequitate susceptum dissadente, sed frustra.

INDUCTIO VI.

Nam imbecillioris Svadae argumentis minime persvasi, caedis Joanneae vindices conceptam semel animo ultionem ulteriore constantia machinantur.

INDUCTIO VII.

Horum intentum interturbat Immortalitas, laeto nuntio advolans Joannem Coeli gratia immortalitatis privilegio donatum esse; qua de causa eos potius ad triumphos festive agendos animat, quam ultionem de tyrannide sumendam, utpote quae purpuratum interfectorum jam a tergo sequatur.

INDUCTIO VIII.

Eo nuntio recreati ultricia arma seponunt, in id unum posthac intenti, quibus triumphis Nepomucenae gloriae splendorem adaugeant.

INDUCTIO IX.

Unanimes tandem statuunt sacras D. Martyris exuvias undis Moldavae mersas festivis ignibus esse collustrandas.

INDUCTIO X.

Quorum sententiae ipsa etiam Venus accedit, sed in eorum societatem non admittitur, nisi mutato Veneris nomine Phosphorum (idem enim est astrologis) posthac se velle compellari polliceatur.

INDUCTIO XI.

Quod dum illa haud gravate praestat, unanimes nova metamorphosi in serenos planetas abeunt, mersas Moldava Nepomuceni exuvias suo fulgore collustraturi. Non tamen abs singulari aemulatione, uter prae altero.

INDUCTIO XII.

Convenitur tandem pacifice, ut planetarum quinarius illustria Joanni deferat officia. Jupiter fulmen, Mars ensem vindicandis honoribus praesentant. Phosphorus auro-

rae comes ruborem suum, Mercurius nunciandae bonae famae promptitudinem commendant. Saturnus aureum clientibus Joanneis promittit saeculum. Ne vero quid devotionis in residuis duobus requiratur, Sol capiti Martyris dabit radios, Luna autem ad dilectissimos Joanni pedes Marianos jacebit, ejus vicario functura munere.

INDUCTIO XIII.

Ita conjuratis in supremos honores Joanneos astrorum studiis ad festivas planeta- rum faces, e Moldava Nepomucenae gloriae emergit monumentum inscriptum Homeri disticho: *Coelum mea gloria tangit.*^b

EPILOGUS

Victori glorioso triplici laurea decorato triumphum accinit et pio spectatori ejus du- liam^c commendat.

A. M. D. G.

^b Homér, Odysseia 9,19–20: *eim' Odyseus Laertiadés, hos pasi doloisim / anthrópoisi meló, kai meu kleos úra- non híkei.*

^c *Dulia* (z řec. *dúleia*) označuje kult svatých. K pojmu více předmluva ke hře *Vindex duliae*, s. 306, pozn. 11.